Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25944
Copyright: Admont, Benediktinerstift



tacere possit. & quod exemplo ioseph qui ait fratribus suis nesciebatis quia non est in augurio homo qualis ego. vel exemplo obstetricum que dixerunt pharaoni non sunt hebree sicut egyptie mulieres. & cetera. nullo horum mendacia defendunt. Abraham quoque ibidem a mendacio excusatur. quia ius immolatus filium ait pueris suis sedete hic cum asino ego & puer illuc usque properantes cum adorauerimus reuertemur aduos. Nec etiam deus mentitus esse probatur licet iussisset immolari filium quem a patre nolebat occidi. nec dolosus erat licet iubendo aliud ostendit se uelle quam uellet. Ostenditur ibidem quod simulatio utilis est & in tempore assumenda exemplo dauid qui mutauit uultum suum coram achis. & exemplo ieu regis israel qui non potuisset interficere sacerdotes baal nisi finxisset se uelle ydolum colere. Ibidem etiam agitur de abraham qui saram apud pharaonem sororem suam dixit. & de iacob qui patri suo ysaac esau se esse mentitus est. Exemplo quoque saulis qui in bello phylistinorum iurauit se interfecturum quicumque ante solis occasum comederet nec tamen filium suum ionathan interfecit. ibidem probatur quod non omnis qui aliter facturus est quam iurat periurii reatum incurrit. Agitur in ea de illicitis iuramentis que laudabiliter soluuntur si propterea deseruntur ut ad bonum redeatur non ut in aliud malum transeatur. quo casu damnabiliter seruantur sed damnabilius contempnuntur. Exemplo quoque iosue qui contra preceptum domini gabaonitas uite seruauit. quia seniores israel licet decepti iuramento cum eis pacem firmauerant. Ibidem ostenditur quod omne illicitum iuramentum solui necesse est. Vel etiam distinguitur quot modis dicantur illicita iuramenta. & que sint soluenda & que seruanda. In ea etiam agitur de his qui alios ad deierandum cogunt scientes vel ignorantes. & de his qui periurant in manu episcopi vel in cruce consecrata vel non consecrata. vel pro quolibet alia necessitate periurant. De his quoque qui ad falsa testimonia alios attrahunt. vel qui audiunt falsum iurare aliquem & tacent. Ibidem agitur de his qui arte uerborum iurant. vel qui super lapidem iurant cum super euangelia iurare putentur. vel qui deceptus ab eo cui iurat quantum ad recipientem aliud iurat quam se iurare arbitretur. ubi etiam ostenditur quomodo iurata iudicentur apud deum secundum intentionem recipientis. quomodo secundum intentionem prestantis. De etate quoque iurantium ibidem agitur ne ante xiiii annos aliqui iurare cogantur. ut non nisi a ieiunis prestentur. & quibus temporibus iurare prohibentur. que sit forma fidelitatis. quid fidelis debe

1 Item de his qui coacti pro uita redimenda